



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1859**

XXII. Markgraf Ludwig verschreibt dem Palatin von Posen, falls die  
begonnenen Freundschaftsverhandlungen mit Polen ihren Fortgang haben  
werden, 200 Marck Silber, welche aus der Stadt Arnswalde bis ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55359)

XXII. Markgraf Ludwig verschreibt dem Palatin von Bosen, falls die begonnenen Freundschaftsverhandlungen mit Bosen ihren Fortgang haben werden, 200 Mark Silber, welche aus der Stadt Arnswalde bis zum Abtrag verzinst werden, Anfangs August 1345.

Nouerint etc. Quod nos Ludovicus etc. consideratis meritis et fidelibus obsequiis nobis pernobilem virum nycolaum de Bechowe, palatinum pozenaniensem, quodammodo exhibitis et adhuc in posterum fideliter exhibendis, nec non fidelitatis promisso nobis prestito eidem suisque heredibus legitimis, de mera mentis nostre beniuolentia, deputauimus, assignauimus, deputamus et presentibus assignamus XXX<sup>a</sup>. marcas argenti Brandenburgensis et ponderis annuorum reddituum tollendas et percipendas in pensione ciuitatis nostre arnswold, quarum singulis annis quindecim in festo beati martini, et quindecim in festo beate walpurgis deinceps subsequentes tollere debebit, inpedimento quolibet procul moto, tam diu, quousque nos, heredes aut successores nostri sibi vel suis heredibus in CC marcis argenti Brandenburgensis satisfecerimus, dictas XXX<sup>a</sup>. marcas pro premissa pecunia non subdefalcationis titulo exfoluendo. Talem approbantes deputationem per presentes, vt premititur, si inter illustrem fratrem nostrum kazimirum, regem polonie atque nos processum habuerit amicitia preconcepta. Volentes quoque, ut aduocatus noster presens ibidem, seu qui pro tempore fuerit, prenotato nycolao de Bechowe et suis heredibus, si pretacte ciuitatis nostre arnswold pensio cuiquam deputata foret vel esset, de aliis terrarum nostrarum obuentionibus annue temporibus preexpressis memoratam pecuniam det, porrigat et ministret. In cuius etc. Testes, Wolfsteiner, Swyker, Hufener, Lochin, Bombrecht magister coquine, Satzenhofer, Otto de Helbe cum ceteris. Datum Kopanitz, anno XLV. post octauam sancti Jacobi.

Aus einem Copialbuche des Geh. Staatsarchives (I. C. 4. in quarto).

XXIII. Markgraf Ludwig befreiet das Kloster und die Gutseingesessenen des Klosters Marienwalde, um diesem seine Verlegung zu erleichtern, von allen Abgaben, am 13. Oktober 1346.

Ludovicus etc. honorabili viro fratri abbati et conventui monasterij Marienwold, ordinis Cisterciensis, Caminensis diocesis, deuotis sibi dilectis, gratiam suam et omne bonum. Ad releuandum egestatis et inopie vestre onera, quibus vos perplexos fore nouimus, et eciam ut monasterium vestrum, prout concepistis, transponere eo commodius possitis et valeatis, vos et vestros subditos colonos et pauperes quoscunque, in bonis monasterii vndique residentes, a festo beati Martini proxime venienti vltra per V annos continuos ab omni dacione et onere cuiuslibet seruitutis qualitercunque nominate uel faciende et seruicio curruum libertamus, sic quod nec nobis nec vlli officiatorum nostrorum in aliqua dacione nec seruitute dictis V annis durantibus aliquatenus teneantur. Volentes eciam homines noualium vestrorum, si que alia excolitis et plantatis, sic quod homines in eis resideant, sine lesione qualibet eciam ipso durante tempore gaudere predicta libertate et gracia